# DE PARTU FACIE PRAEVIA MENTO AD OS SACRUM VERSO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA PHILIPPINA

UT SUMMI IN

MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA

HONORES SIBI RITE CONCEDANTUR

SCRIPSIT

ET DIE XXXI. MENSIS AUGUSTI ANNI MDCCCLII

PUBLICE DEFENDET

*JOANNES JACOBUS NICOLAUS ROESE,*

MARBURGENSIS.

MARBURGI CATTORUM.

TYPIS ELWERTI ACADEMICIS.

MDCCCLII.

In xenodochio obstetricio Marburgensi sub auspiciis viri doctissimi illustrissimi Prof. Hueter arti obstetriciae operam danti occasio valde rara mihi oblata est partum faciei mento ad os sacrum verso bene ac feliciter perfectum observandi, quem, quum casus eiusmodi tantum pauci sint noti, ad dissertationem meam elegi.

Atque humanitate saepe laudata Prof. Hueter non modo mihi permissionem dedit observationem meam in publicum emittendi, sed etiam bibliothecam suam ad dissertationem hanc elaborandam libenter mihi aperuit, omnibusque viribus me in labore adjuvit. Qua pro liberalitate atque benignitate praeceptori meo experientissimo clarissimoque gratias ago quam maximas.

# CAPUT I.

## Observatio.

Barbara Elisab. M. (cf. Diar. obstetr. Nro. 1999) tripara, Spangenbergensis, triginta quinque annos nata, media magnitudine, robusta, colore sana, in iuventate, ut dicit, febri nervosa laborabat, praeter quod in universum erat semper sana ac valida. Viginti annos nata primam menstruationem habebat, quae inde ab eo tempore semper justo rectoque intervallo apparens per octonos dies copia quadam fluebat. Viginti duos annos nata primo gravida facta puerum viventem domi peperit, qui septem annis post mortuus est. Secundo VI. Septbr. 1847 (cf. diar.

obstetr. Nro. 1521) in xenodochio Marburgensi puellam viventem facile peperit; attamen haec jam sex diebus post ex apoplexia cerebri et pulmonum mortua est. Haud multum post rursus menstruabat, sed non eo, qui antea fuit, recto ordine, quum menses saepius sex hebdomades usque ad tres menses cessarent. Postremum menstruatio, ut dicit, medio mensis Sept. 1850 se ostendebat, quo tempore etiam conceptio fiebat. Prima signa foetus viventis gravida sub fine mensis Februar. 1851 sentiebat. Graviditatis rationes recte iusteque se habebant.

Nocte, quae inter XVI. et XVII. Jul. 1851 intererat, gravida primos dolores praesagientes sentiebat, qui sequente die vesperascente validiores fiebant, ita ut persona se parturientem indicaret. Undecima hora vespertina ad hunc partum observandum et tractandum arcessitus cognovi orificium uteri in thaleri magnitudine apertum, caput in quarta faciei positione praevium, (frontem ad horizontalem ramum dextrum ossis pubis, mentum ad synchondrosin sacro-iliacam versum) velamenta ovi plane laxa et quantitate liquoris amnii minima impleta. Qua de causa digito exploratorio oculum sinistrum tangere, eumque super nasi dorsum usque ad labia et mentum ducere potui. Diagnosis mea cum a medico auxiliari Dr. Braun et ceteris iuvenibus artis obstetriciae studiosis, tum a Prof. Hueter prorsus comprobabatur.

Contractiones uteri parturienti omnino deerant. Ut transitum quartae in primam faciei positionem expedirem, jussi ut parturiens in sinistram partem se collocaret.

Duodecima hora, quum dolores ad partum omnino non aucti essent, positionem capitis nihil mutatam inveni. In parturiente igitur positionem in dextram partem occupante post horam ne minimam quidem mutationem inveni, quum contractiones uteri validiores iam usque dees-

seut. Demum ad $1\frac{1}{2}$ horam die XVII. Jul. nonnullae valentiores contractiones uteri ortae sunt; attamen facies in eadem positione permansit et utraque positio in latere prosperum eventum plane non praebebat. Paullatim velamenta contractionibus uteri permanentibus tendebantur. Paulo ante secundam horam validissimae contractiones exoriebantur, neque, quamquam omnia conatus sum, prohibere potui, quin partus accelerandi causa parturiens omnibus viribus premeret. Quarta vero horae parte interjecta parturiens aliquid sibi esse ejectum dixit; atque in exploratione rupturam velamentorum iam factam cognovi, attamen caput aeque alte situm erat atque antea, et facies in quarta positione. Quam celerrime Doctorem Braun certiorem feci aquas profluxisse. Tum praeterea apparebant circa duae vel tres contractiones uteri vehementes, et vix is, quem ad Dr. Braun miseram, rursus redierat, quum ultima contractione facies in quarta positione in conspectum veniret, et tam inopinate ac celeriter, cum fronte sub arcu ossium pubis, et cum mento in perinaeo posita, rimam pudendi expleret, ut mihi vix esset tempus suetam tutelam tribuendi perinaeo. In ea, qnae modo sequebatur, contractione uteri caput cum pectore et tum ceterae partes infantis nascebantur, facie ad sinistrum matris femur se vertente. Et vix plane ex matris corpore progressa infans iam acerrime clamare coepit. Dextrum faciei latus quendam, sed tantum exiguum, tumorem ostendebat. Caput infans iam aliquod tempus retroversum tenebat, sequente vero die tantum paucum conspiciebatur.

Neonata puella erat longa 20 pollic. et pondus aequabat 6 ℔; diametrus recta capitis aeqnabat 4″, obliqua $4\frac{3}{4}$″, transversa $3\frac{1}{4}$″. Latitudo humerorum $3\frac{3}{4}$″, coxarum $3\frac{1}{4}$″.

In puerpera ruptura perinaei attamen minima reperta est. Decursus puerperii non a norma discessit, puerpera

et neonata quam optime se habebant et die XXVIII. mensis Jul. ex xenodochio emissae sunt.

Exploratio pelvis anomaliam non exhibuit; conjugata iusto minor esse videbatur, nam distantia a processu spinoso ultimae vertebrae lumbalis usque ad symphysin ossium pubis 6¾ pollic. Parisior. mens. tantum aequavit. Diametri transversae superioris pelvis aequarunt: anterior 9¾″, posterior 10¾″, et digitus exploratorius ad pelvis cavitatem ductus anomaliam non detexit.

# CAPUT II.

## Observationes aliorum scriptorum.

1) *Mappes* in libro, qui inscribitur gemeinsame deutsche Zeitschrift für Geburtskunde etc. Bd. I. p. 180 hunc enarrat casum:

Ad feminam quandam, quae iam quater facile peperat, hora I diei I. mensis Jul. 1824 vocatus est, quum femina obstetrix positionem haud satis recte intelligere posset. Liquorem amnii una hora ante iam profluxisse certior factus abdomen valde inflatum invenit, pedes foetus in uteri fundo se moventes, orificium uteri in latitudine digitorum trium apertum, caput inter introitum atque mediam pelvis minoris partem dextro dimidio faciei praevio, frontem ad sinistrum matris latus; sensit oculum dextrum atque nasum et os dextrâ paene ad os sacrum. Contractiones uteri laboriosae magna opera orificium uteri laxum atque dependens, ut par est, dilatabant. Paullatim frons sine ulla manipulatione a sinistrâ ad ossa pubis versa sub arcum ossium pubis nitebatur, ita ut hora tertia et dimidia puer validus vivensque ipsa natura sit natus.

2) *Weise* in v. Siebold's Journal für Geburtskunde etc. Bd. VII. p. 917. hunc casum memoriae tradit.:

A. L. quae, ut dicebat, sex annis ante forcipe partum ediderat, VI. die mens. Decembr. 1826 primos dolores ad partum sentiebat, VII. die hora sexta et dimidia matutina aquae effundebantur. Exploratio interna haec statuebat: caput foetus in superiore pelvis minoris apertura, et quidem frontem pone synostosin pubo-iliacam dextram collocatum, oculos et nasum in directionis linea pelvis minoris, os alte ad sinistram synchondrosin sacro-iliacam versum. Partus viae recte se habebant, contractiones uteri regulares et in universum validae, quam ob rem ars non adhibebatur. Caput hac in positione in pelvim minorem pulsum IX. hora matutina in eo erat, ut exìret, et simulac frons a dextrâ sub arcum pubis se vertit, plane ad lucem prodibat.

Laesio perinaei nulla.

Neonatus pondus aequabat $7\frac{1}{2}$ ℔, et erat longus $17\frac{1}{2}''$. Capitis diametrus diagonalis explebat $5''$, longitudinalis $4\frac{3}{4}''$, transversalis $3\frac{3}{4}''$, perpendicularis $3''$.

In pelvi cristae ilium distabant $10\frac{1}{4}''$, trochanteres maiores $11''$, et spatium a symphysi ossium pubis usque ad processum spinosum ultimae vertebrae lumbalis erat $7\frac{1}{2}''$.

Idem vir doctus in v. Siebold's Journal Bd. VII. p. 920 praeterea alium describit casum, qui autem observationibus huius modi adnumerari non potest, quod neonatus mortuus erat hemicephalus, cuius capiti eae partes, quae maximum impedimentum in partu praebent, deerant.

3) *Busch* in der gemeinsamen deutschen Zeitschrift für Geburtskunde etc. Bd. III. p. 850. commemorat partum faciei tertiae positionis. Validis contractionibus uteri frons pone ossa pubis et mentum super perinaeum progrediebatur. Puer, qui pondus 6 ℔ aequabat, vivens natus est. Atque haec addit verbo: „sie erregte meine ganze Aufmerksamkeit, da sie unter meinen Beobachtungen den ein-

zigen Fall darbietet, dass eine Gesichtslage 3ter Art, ohne sich in eine andere zu verwandeln, durch die Natur beendigt wurde."

4) Alium novissimo tempore casum tertiae positionis, qui ipsis naturae viribus perficiebatur *Koehler* Offenbachensis in „Verhandlungen der Gesellschaft für Geburtshilfe in Berlin. V. Jahrgang 1852. pag. 42. memoriae tradit:

die XIX. mens. Octobr. 1849, hora VIII. matutina *K.* ad parturientem vocabatur. Femina erat tripara et antea semper valida sanaque. Orificium uteri $\frac{3}{4}''$ apertum invenit, et statim faciei positionem tertiam cognovit. Quum caput adhuc plane alte staret, rationes pelvis valde secundae, contractiones uteri omni modo bonae rectaeque essent, rem tantum naturae concedere constituit, sperans fore ut positio iniqua partu progrediente in secundam faciei positionem mutata facilius bonum ad finem perducatur. Inter horam XII. et I. nullas mutationes maiores inveniebat, orificium uteri magis apertum erat, facies, quamquam paullum depressa, in eadem positione versabatur. Contractiones uteri, etsi in ultimis horis rariores erant, tamen normales se praebebant. Tum vero validissimae uteri contractiones exoriebantur. Prima hora et dimidia facies velamentis ovi remotis usque ad pelvis exitum descenderat, ita ut frons ad symphysin ossium pubis, mentum vero ad os sacrum jam magis appropinquasset, et linea faciei rectae diametro pelvis paene responderet. Tali conditione medico obstetricio nihil aliud supererat, quam cura exspectativa. Parturientem in sinistrum latus collocatam observabat et gravissimo animo eventum exspectabat. Uteri contractiones erant validissimae et frequentissimae. Faciei tumor iam antea haud parvus magis magisque crescebat. Una et dimidia hora interjecta subito mentum super perinaeum valde extensum progrediebatur, et tota

facies altius se erigebat, ita ut usque ad nasi dimidium pone symphysin ossium pubis rediret. Mento nato, celeriter facie rursus ad os sacrum appropinquante frons et totum caput apparebat. Ceterum corpus celerrime extrahebatur.

Neonatus maxime deformis mortuus videbatur, attamen mox in vitam revocabatur. Erat plane maturus; mater atque infans octo diebus post se optime habebant.

Etiam *Meissner* inter ceteros, qui partus facie praevia III. et IV. positionis observarunt, enumeratur, sed ut ipse dicit, partus fronte praevia erat. (cf. Meissner's Forschungen des 19. Jahrhunderts im Gebiete der Geburtskunde etc. Bd. I. p. 144.) Hic igitur casus ad id, quod hic volumus, referri nequit, haud aliter ac illi duo fronte praevia partus, quos *Hueter* iam memoriae tradidit (cf. Neue Zeitschrift für Geburtskunde etc. Bd. XIV. p. 179. et Bd. XXIII. p. 1.) ac alius quidam, quem observavit. (cf. diar. obstetr. xenodochii Marburg. Nro. 1634.)

# CAPUT III.

## Quod censent scriptores de partu facie praevia mento ad os sacrum verso.

Omnis partus facie praevia antea a medicis obstetriciis adnumerabatur ad abnormes partus, qua de causa quemque partum facie praevia arte perficiendum putabant. Primus inter medicos obstetricios, qui negabat, partus facie praevia esse abnormes, fuit *Portal* [1]).

Jam si de partu facie praevia in universum medicorum obstetriciorum sententiae valde inter se discrepant, tamen de iis, in quibus facies ita ex pelvi exit, ut mentum

1) La pratique des accouchemens par *Portal* à Paris 1685. pag. 26.

ad os sacrum sit versum (quam positionem faciei tertiam et quartam vocant) prorsus paene una opinio praevalet, quum fere omnes, si omnino tertiam et quartam faciei positionem esse dicunt, aut partum in hac positione naturae viribus perfici posse plane negant, aut partum nisi vita infantis perdita et in aliis rebus secundissimis fieri posse.

Sunt scriptores, qui duas tantum faciei positiones commemorant, ut frons aut ad dextrum aut ad sinistrum os ilium spectet, et tertiam quartamque faciei positionem esse ne putant quidem, nedum partum in hac positione perfici posse, etiamsi ex ea tantum causa, quod sibi ipsis talis positio nunquam occurrerit. Hi sunt inprimis *Fr. C. Naegelé* [1]), *v. Froriep* [2]), *Osiander* [3]), *H. Fr. Naegelé* [4]), *Kilian* [5]), *Rosshirt* [6]), qui mechanismum partus facie praevia talem describunt, qualem esse *Boër* [7]) primus dixit, ita ut semper mentum inter pariendum sub arcum pubis ver-

---

1) Lehrbuch der Geburtshülfe für Hebammen v. Fr. C. Naegeli. Heidelb. 1844. 6. Aufl. §. 276.

2) Theoret. pract. Handbuch der Geburtshilfe von *Froriep* 7. Aufl. Weimar 1832. §. 238.

3) *Fr. B. Osianders* Handbuch der Entbindungskunst 2. Aufl. 1833. 3. Bd. §. 163—166.

4) Die Lehre vom Mechanismus der Geburt von *H. Fr. Naegelé*. Mainz 1838. p. 48. etc.

Lehrbuch der Geburtshilfe von *H. Fr. Naegelé*. Heidelberg 1847. I. Theil p. 235.

5) Die Geburtslehre von *H. Fr. Kilian*, Frankfurt a. *M.* 1839. Bd. I. §. 260.

6) Lehrbuch der Geburtshilfe von *Rosshirt*. Erlangen 1851. §. 273.

7) Abhandlungen und Versuche geburtshilfl. Inhalts von *Boër*. Wien 1791. III. Thl. p. 27.

teretur. Aliam versionem, ut in primis *de Siebold* [1]) censet, velut versionem menti ad os sacrum, nunquam natura, semper intempestiva ac mala arte initio partus effici.

Plerique vero scriptores, etiamsi in significandis positionibus singulis inter se discrepant, faciei positiones mento ad os sacrum verso afferunt, neque concedunt, partum naturae viribus omnino aliqua conditione perfici posse, qua de causa artem semper adhiberi volunt. In hoc numero sunt habendi *Manningham* [2]), *Levret* [3]), *Puzos* [4]), *Fried* [5]), *Solayrés de Renhac* [6]), *Zeller* [7]), *Boër* [8]), *Baudelocque* [9]), *Saxtorph* [10]), *Stein* [11]), *Weidmann* [12]),

1) Lehrbuch der theoret. pract. Entbindungskunde von *A. El. v. Siebold.* 1821. Bd. I. §. 544—546.

2) *Richardi Manningham* artis obstetriciae compendium edit. auctore Ph. Ad. Boehmero. Halae Magdeburgicae 1746. p. 26.

3) *Levret's* Wahrnehmungen von den Ursachen und Zufällen vielsr schweren Geburten, übersetzt von Wallbaum. Lübeck u. Altona 1758. I. Thl. p. 275.

4) *Puzos* traité des accouchemens, Paris 1759. p. 177.

5) Anfangsgründe der Geburtshilfe von *Fried.* Strassburg 1769. §. 348—351.

6) *Solayrés de Renhac*, dissertatio de partu viribus maternis absoluto, Parisiis 1771. quam denuo edidit Ed. Casp. Jac. de Siebold. Berlin 1831. p. 48.

7) *Simon Zeller,* Grundriss der Geburtshilfe. Wien 1781. p. 64.

8) *Boër*, pag. 10. l. c.

9) *Baudeloque's* Anleitung zur Entbindungskunst. 2. Ausg. Leipzig 1791. übersetzt von Meckel. I. Bd. p. 650.

10) *Saxtorph's* Anszug aus der Entbindungskunst. übers. von Kerstens. Leipzig u. Kopenhagen 1792. p. 182.

11) *G. W. Stein's* Anleitung zur Geburtshilfe. 7. Aufl. 2 Thl. Marburg 1804. §. 794.

12) *Weidmann*, Entwurf der Geburtshilfe für seine Vorlesungen. Mainz 1808. §. 877.

*Wigand*[1]), *Hussian*[2]), *Madame Boivin*[3]), *Betschler*[4]), *Jörg*[5]), *Witte*[6]), *Kilian*[7]), *Lange*[8]), *Wittlinger*[9]) et etiam *Scanzoni*[10]), qui et ipse, ut *El. de Siebold* putat, mentum ad arcum ossium pubis fere semper verti nisi iam initio partus versio conatibus positionis corrigendae impediatur.

Alii scriptores ut *Smellie*[11]), *Plenk*[12]), *War-*

1) *Wigand*, die Geburt des Menschen in physiol. diätet. und pathol. therapeut. Beziehung. Herausgegeben von Fr. C. Naegelé. Berlin 1820. 2. Bd. p. 417.

2) Handbuch der Geburtshilfe von *Hussian*. Wien 1827. Bd. II. §. 167.

3) Handbuch der Geburtshilfe von Mad. *Boivin*. Nach der 2. Ausg. des Originals übersetzt von Dr. Ferd. Robert. Cassel u. Marburg 1829. p. 277.

4) Annalen der klin. Anstalt für Geburtshilfe etc. zu Breslau von *Betschler*, Breslau 1832. Bd. I. p. 12.

5) Handbuch der Geburtshilfe von *Jörg*, Leipzig 1833. 3. Aufl. §. 176.

6) *Witte*, de partu facie praevia, dissertatio inauguralis. Revaliae 1835. p. 30. quamquam pag. 38. dicit: „ne mirum habeamus, hic quoque casus adesse, ut supra attulimus, in quibus et mater et infans incolumes manserint.

7) Die Geburtslehre von *H. Fr. Kilian*, Frankfurt a. M. 1839. Bd. I. §. 260.

8) Prager Vierteljahrschrift für pract. Heilkunde. I. Jahrg. 1844. II. Quart. p. 56.

9) Handbuch der Geburtskunde von *Wittlinger*. Quedlinburg u. Leipzig 1848. p. 251.

10) *Scanzoni*, Lehrbuch der Geburtshilfe. Wien 1852. Bd. II. p. 61 u. w.

11) *Smellie's* theoret. u. pract. Abhandlung von der Hebammenkunst, übersetzt von Zeiher, Altenburg 1755. p. 299 u. w.

12) *Josephi Jac Plenkii* elementa artis obstetr. Viennae 1781. p. 170.

*nekros* [1]), *Jungmann* [2]), *Andrée* [3]), *Madame la Chapelle* [4]), *Burns* [5]), *Casp. Jac. de Siebold* [6]), *Carus* [7]), *Hüter* [8]), *Horn* [9]), *Schwarzer* [10]), *Cazeaux* [11]), *Hofmann* [12]), *Hohl* [13]), *Kiwisch* [14]), *Rosshirt* [15]), tantum dicunt, partum in his faciei positionibus naturae solis viribus difficil-

---

1) Geburtshülfl. Abhandlungen von *Warnekros*. Rostock 1808. I. Heft. p. 11. u. w.

2) Lehrbuch der Geburtshilfe von *Jungmann*. Prag 1812. II. Thl. §. 167.

3) *v. Siebold's* Journal für Geburtskunde etc. Bd. VII. p. 170.

4) Practische Entbindungskunst oder Abhandlungen etc. von Mad. *la Chapelle*. Herausgeg. von Dugées. Weimar 1825. Bd. II. p. 331.

5) Handbuch der Geburtshilfe von *Burns*. Nach der 8. Ausg. herausgeg. von Kilian. Bonn 1834. p. 411.

6) Theoret. pract. Geburtshilfe von *Ed. Casp. Jac. v. Siebold*. 2. Aufl. Berlin 1835. p. 138.

7) Lehrbuch der Gynaekologie von *Gust. Carus*. 3. Aufl. 2. Bd. Leipzig 1838. §. 832.

8) Encyclopäd. Wörterbueh der medizin. Wissenschaften. Berlin 1836. Bd. XIV. p. 621.

9) Lehrbuch der Geburtshilfe von *Horn*. 3. Aufl. Wien 1838. §. 348.

10) Handbuch der Geburtshilfe von *Schwarzer*. Wien 1838. I. Thl. §. 498.

11) Traité théorique et pratique de l'art des accouchemens par *P. Cazeaux*. Edit. deuxième. Paris 1844. p. 354.

12) Neue Zeitschrift für Geburtskunde etc. Bd. XVII. p. 342 u. w.

13) Vorträge über die Geburt des Menschen von *Hohl*. Halle 1845. p. 344.

14) Die Geburtskunde von *Kiwisch*, Ritter von Rotterau. Erlangen 1851. I. Abthl. p. 366.

15) Lehrbuch der Geburtshilfe von *Rosshirt*. Erlangen 1851. §. 273.

lime et periculose tantumque quibusdam conditionibus perfici posse. Censent enim in magna pelvi infantem parvum immaturum vel putridum sola natura, vivum autem et maturum nullo pacto feliciter nasci posse, qua re suadent, ut contentiones naturae partum facilius perficiendi subleventur.

Sed apud nullum scriptorem, exceptis iis, qui ipsi partum facie praevia mento ad os sacrum verso feliciter natura perfectum observarunt, et *Eschenburgio* [1]), legimus, infantem maturum vivum hac in positione nasci posse.

Quin etiam *El. de Siebold* et *Busch* [2]) opinione vulgari consentiunt, quamquam se ipsos tales partus observasse dicunt. (cf. Cap. II. h. l. et Siebold's Lucina, Zeitschrift zur Vervollkommnung der Entbindungskunst Bd. V. p. 158 [3]). *Busch* non dubitat dicere, ut etiam *Naegelé*, pater et filius, *Hofmann*, *Hohl*, observationes medicorum obstetriciorum adhuc spectantes in errore positas esse, censens, etiamsi foetus vitam amittat, tamen matrem fere nunquam eum expellere posse.

---

1) *Eschenburg*, de partu facie praevia, dissert. inaug. Berolini 1833. p. 20.

2) Die theoret. u. pract. Geburtskunde von *Dietr. Heinr. Busch*. Berlin 1838. pag. 278.

*Busch*, Atlas geburtshilfl. Abbildungen mit Bezugnahme aufs Lehrbuch. Berlin 1841. fig 84. pag. 50.

Handbuch der Geburtskunde in alphabet. Ordnung, von *Busch* u. *Moser*. Berlin 1841. Bd. II. p. 633.

3) Hoc loco enim dicit *de Siebold*: „ich bin es meiner Liebe für die Wahrheit und dem hohen Interesse, das ich für die Kunst fühle, schuldig, öffentlich zu bekennen, dass ich mehrere Male Gesichtsgeburten durch eigne Selbstthätigkeit der Natur vollenden sah, bei welchen der Kopf in der gewöhnlichen gerade entgegengesetzten Richtung durchs Becken trat."

# CAPUT IV.

## De mechanismo.

Veteriorum plurimi obstetricantium non norunt normalem decursum partuum facie praevia, nec quidquam fere in eorum operibus hac de re notatum invenimus. Primus *Boër* descriptionem eius, quam apud fere omnes medicos obstetricios post illum virum doctum legimus, in lucem edidit.

In positione faciei tertia frons ad sinistrum os pubis, mentum ad synchondrosin sacro-iliacam dextram directum est, ita ut linea faciei primae obliquae diametro pelvis respondeat. Superficies posterior foetus ad anticum sinistrum matris latus, superficies anterior ad dextrum et posticum est versa.

In positione quarta frons se praebet ad os pubis dextrum, mentum ad synchondrosin sacro-iliacam sinistram; linea faciei igitur secundae obliquae diametro respondet, superficies posterior foetus ad anticum et dextrum, superficies anterior ad posticum et sinistrum matris latus spectat.

Hae faciei positiones plerumque consensu omnium scriptorum ita decurrunt, ut tertia in secundam, et quarta in primam faciei positionem transeat, quod in tertia positione hoc modo fit:

Validioribus tertiae partus periodi contractionibus uteri eo in positionem secundiorem pellitur, quod frons ad synostosin pubo-iliacam sinistram versa in synchondrosin sacro-iliacam sinistram declinat, mentum vero ad synchondrosin sacro-iliacam dextram versum in synostosin pubo-iliacam dextram, quo fit ut linea faciei in prima obliqua diametro stans in transversam tumque in secundum obliquam diametrum transeat; jam ita mentum

ad os pubis dextrum rectum est. Quo transitu perfecto partus secundae faciei positionis perfinitur.

Tali modo etiam quarta in primam faciei positionem mutatur, quum contractionibus uteri validis frons a dextra synostosi pubo-iliaca ad dextram synchondrosin sacro-iliacam, atque mentum a sinistra synchondrosi sacro-iliaca ad sinistram synostosin pubo-iliacam moveatur, quali modo faciei linea i i diametrum transversam, ac tum in primam obliquam transit, quo facto partus ut in prima, faciei positione ad finem ducitur [1]).

Hic est maxime naturae conveniens decursus partus facie praevia tertiae quartaeque positionis, attamen nequaquam, ut non pauci medici obstetricii contendunt, mentum semper ad os pubis pervenire debet, si partus solis naturae viribus ad finem bonum perficiendus est. Non rarissime fit, ut, si etiam minime ars ad positionem corrigendam adhibita est, facies praevia in tertia et quarta positione ita in pelvim obtrudatur, ut illa versio naturâ iam effici non possit. In hoc mechanismo, insueto quidem, tamen naturâ etiam secundior positio effici potest, ita ut partus solis naturae viribus sine periculo absolvatur.

Si enim frons cristâ ossis pubis nixa, quin in pelvim progrediatur, est impedita, mentum vero non in pelvim descendit, vel potius ad pectus appropinquat, et igitur ascendit, in bonis uteri contractionibus et in maiore pelvis amplitudine, regio verticis introitum pelvis intrare potest. Sin vero caput hac in positione in pelvim descendit, occi-

---

1) Quod ad transitum tertiae et quartae in secundam et primam positionem attinet, conferenda est tabula, quam huic opusculo addidi. In 624 partubus facie praevia quadragies et sexies positio tertia in secundam, et tricies et ter quarta in primam transiit.

pite descendente verticis positio facile in primam speciem positionum cranio praevio transire et partus edi potest[1].

Sin autem vertex plane non delabitur, tertia vel quarta frontis positio, quamquam rarissime, oriri potest, quae talis, ut multi scriptores se ipsos observasse dicunt, finitur fronte prima sub arcu ossium pubis et tum demum mento super perinaeum progrediente[2]).

Quod ad verba, quae ***Busch, Hofmann, Hohl*** fecerunt, spectat, qui in illis partubus observatis non faciem sed frontem praeviam fuisse veresimile habent, atque docent, decursum partus fronte praevia faciliorem esse, equidem puto, ut etiam ***Hueter*** iudicat (cf. neue Zeitschrift für Geburtsk. etc. Bd. XIV. p. 184. „Eine Stirngeburt", mitgetheilt von Hueter) mechanismum partus in tertia et quarta *faciei* positione vel tertia et quarta *frontis* positione prorsus non differre, quum enim etiam in tali frontis positione non minus vel maxime pectus una cum capite per pelvim exire necesse sit.

Sin vero mentum non revertitur, permanet facies praevia, et tum etiam positio tertia et quarta, ut observationes demonstrant, talis naturâ perfici potest.

Sane nemo credat, tales partus fieri posse, qui non ipse sensibus suis casus eiusmodi perceperit. Nam si quis contemplatur, id quod ***Hofmann*** rectissime notat (cf. neue

---

1) Conf. tab. In 624. partubus facie praevia quadragies positio tertia observata est, quae bis tantum in I. verticis positionem, et semel tantum in I. cranii positionem transiit.

Positio quarta faciei quinquagies observata est, et semel tantum in cranio praevio et semel in vertice praevio positionem transiit.

2) Conf. tab. Hic transitus in fronte praevia positionem semel in secunda faciei positione observata est.

Zeitschrift für Geburtskunde Bd. XVII. p. 343), in tali faciei positione foetu progrediente praeter collum 2″ longum pectus et capitis rectam diametrum una per pelvim penetrare debere, vix habebit verum, in tali foetus positione, si rationes spatii inter se naturae legibus respondent, unquam partum fieri posse sine foetus morte. Apud normales enim spatii conditiones recta diametrus capitis aequat, id quod minimum est, 3″ 6‴, pectoris 2″ 6‴, itaque per totum 6″; quae moles per pelvis exitum edi debet, cuius recta diametrus, id quod maximum est, 4″ 6‴ exhibet; itaque spatio 1″ 6‴ minor est. Quis est, cui hoc non paradoxum videatur!

Attamen vero talem partum et matri et infanti prospere beneque solis naturae viribus perfici vidimus, quae observatio, ut aliae, confirmat, omnia impedimenta naturâ vinci posse [1]).

Mechanismus talis esse potest, qualis in eo, quem *Koehler* narrat, casu optime describitur. Mentum super perinaeum valde extensum progreditur et tota facies altius erigitur, ita ut usque ad nasi dimidium pone symphysin ossium pubis redeat. Mento nato, celeriter facie rursus ad os sacrum appropinquante frons et totum caput in lucem profertur.

Alius autem mechanismus erat in nostro casu, quum enim frons non rediret, sed uno tempore cum mento in rima pudendi appareret.

Tali ratione foetus per pelvim tum tantum penetrare potest, si collum tensum, uteri vero contractiones tam

---

1) Cf. tab. In 88843 partubus in universum et in 624 partubus facie praevia bis tantum partus in tertia positione natura perfectus est, et ter in quarta positione. Semel autem erat foetus non maturus.

pervalidae sunt, ut caput celeriter propellant neque nimis diu foetum comprimant.

Jam secundum momentum ad partum quartae positionis perficiendum nostro in casu inveniendum est in ea re — et hac ratione Prof. *Hueter* tum nobis explanavit — quod diametrus pelvis transversa iusto maior et conjugata iusto minor esse videbatur. Si statuimus, facie in pelvim progrediente, frontem in dextro eius latere descendisse, mentum vero in sinistrum latus se demisisse, caput dextrum pelvis dimidium humerique sinistrum explere potuerunt, promontorio inter caput et humeros foetus posito. Collum foetus hac in re plane eodem modo se habere potuit, quam in partu facie praevia, ubi faciei linea initio in transversa diametro descendit et tum mentum ad ossa pubis deprimitur. Qui transitus nostro quoque in casu, id quod veresimile est, extremum accidisset, si non sinistra frontis pars, quominus ad anteriorem pelvis parietem descenderet, impedita esset. Validioribus autem uteri contractionibus ipsis non sinistrum, ut debebat, sed dextrum faciei dimidium ad os sacrum versum magis descendebat, id quod partu perfecto tumor quoque hoc loco inventus comprobavit. Quae quum ita se haberent, frons ad dextrum ossis pubis ramum descendere coacta erat, qua in re necesse erat, mentum rursus ad os sacrum verteretur et humeri primam in obliquam diametrum pervenirent. Tum vero fronte sub arcu ossium pubis apparente mentum ad os sacrum directum esse, humeri autem statim post caput expulsum in transversa diametro egredi debebant.

Qua observatione commoti non possumus, quin sententiae, quam *Mappes* profert, plane adstipulemur. Hic enim vir doctus in der gemeinsamen deutschen Zeitschrift für Geburtskunde etc. Bd. I. pag. 180. ita dicit: „der Fall wäre

möglich, auch wenn er unter tausend von Geburten nicht angetroffen worden“.

Scriptores observationes in errore versari sine ullo iure dicunt, quum nullam aliam habeant causam, quam quod iis ipsis casus eiusmodi se non obtulerit.

## CAPUT V.

### De prognosi.

Quod si tales partus, quamquam viri docti eos fieri non posse machina comprobare student, perfici possunt, etiam non tam iniqui difficilesque habendi sunt, quam causis theoreticis commotus credas. Omnibus enim in iis, quos naturâ perfectos novimus, casibus infantes viventes ad lucem proferebantur; qui quidem prosper exitus tantum rationibus plane secundis et mechanicis et dynamicis, praesertim ea re explanandus videtur, quod uteri contractionibus validissimis, itaque partubus valde acceleratis medulla spinalis haud multum premebatur, neque collum valde certe non diutius tendebatur. Itaque multum abest, ut omnes tales partus sine ullo discrimine perfici posse censeam, nam quae pericula exoriri debeant rationibus minus aequis, nemo est quem effugiat.

Viri docti pericula iam prima et secunda faciei positione exorta commemorant, quae quidem re vera non negligenda videntur. Neque vero puto, — nam haec omnia etiam *E. de Siebold* et *Warnekros* [1]) redarguerunt — ut *Osiander* sen. contendit in partu facie praevia aëre in os apertum intrante foetum maturius, ut respiret, cogi et quum tamen continuo respirare non possit, in utero suffo-

---

1) El. de Siebold, Luc. V. p. 159. et Warnekros l. c. p. 15.

cari; dein funiculum umbilicalem facile prolabi, comprimi et refrigerari sanguinisque inter matrem et foetum circulationem turbari; faciem denique sub arcu pubis prodeuntem cum detrimento infantis comprimi et contundi.

Attamen valde persuasum habeo, periculum quod capite valde retroverso atque, quod sequitur, medulla spinali distracta, si foetus diutius hac in positione permanet, exoritur haud parvi esse momenti. Haud aliter timendum est, ne pressione nimis diutina venarum colli lentius vias partus pergredientis sanguinis e cerebro refluxus cohibeatur, nimiumque repletis vasis cerebri aut asphyxia vel apoplexia infans nascens laboret.

Etiam tumor faciei nonnunquam pervalidus foetum in discrimen vocare potest, quamquam plerumque non maioris momenti est quam quisque alius qui in parte ad partum praevia exoritur.

Non secus matrem quoque haud parvo in periculo versari perspicuum est, et ruptura perinaei, id quod minimum est, in partubus huiusmodi metuenda nobis videtur.

Si igitur iam prima et secunda faciei positio et matri et foetui pericula offerre possunt, dubitandum non est, etiam tertiam et quartam positionem pericula et quidem multo maiora exhibere posse, id quod omnes casus confirmant, in quibus, quia transitus in positiones secundiores non se praebebat, artis auxilium adhibebatur, exempli gratia casus, quos narrant *Credé* (cf. neue Zeitschrift für Geburtsk. Bd. 30. p. 327.) *Landsberg* (Bd. 29. p. 248.) *Hofmann* (Bd. 27. p. 165. et Bd. 17. p. 343.) cuius in altero casu sine dubio exostosis pelvis valde iniquum erat momentum.

Sed si etiam exempla non desunt, ubi partus arte adhibita iniquum habebant exitum, tamen medici obstetricii esse iudico in tertia et quarta faciei positione naturam in

eo, quod assequi vult, quantum fieri potest adiuvare, ut positio secundior exoriatur, in qua partus facilius et minore periculo aut naturâ aut arte perfici potest.

# CAPUT VI.

## Cura partuum facie praevia mento ad os sacrum verso.

Veteres medici obstetricii in faciei partu et praesertim in III. et IV. positione optimum esse *ad pedes vertere* docebant; quae *versio*, quum matri et foetui aeque sit periculosa, his diebus plane repudiatur, iis casibus exceptis, ubi indicationes occurrunt, quae etiam apud alias minus iniquas capitis positiones versionem requirunt. Omnino vero tum demum de versione instituenda dici potest, dum caput super pelvis aditu mobile versatur; sane non desunt viri obstetricantes, qui sine dubitatione versionem ad pedes adhibent, id quod ad casum quendam spectat, de quo *Hofmann* disputat. (cf. neue Zeitschrift für Geburtsk. Bd. 27. p. 165.)

Positionem ea ratione corrigere multi scriptores docent, ut *frons* manipulationibus internis et externis *deducatur* et *mentum altius prematur;* sane haec commendatio optime se haberet, dummodo semper perficienda esset. Ad eos, qui hanc methodum adhibendam esse docent, praesertim *Baudelocque*, *Boivin*, *Wigand*, *Burns*, *Rosshirt*[1]) sunt referendi, qui, si hoc non bene evenit, *ad versionem* in pedes transgredi vel caput *forcipe* extrahere volunt. *Meissner*[2]) nobis enarrat casum quendam, ubi per unum

1) Conferendi sunt in cap. III. libri citati et Rosshirt, die geburtshilfl. Operationen. Erlangen 1842. p. 244.

2) Meissners, Forschungen des 19. Jahrh. im Gebiete der Geburtshilfe. Leipzig 1826. II. Theile p. 145.

brachium forcipis anticam verticis partem deprimebat; alio vero in casu haec operatio non fauste evenit.

Multo simplicius et etiam efficacius ad faciei positionem in secundiorum commutandam est *aptus situs, qui parturienti obtinendus.* Quum vero uterum ad eam regionem, quae sit fronti adversa, directus esse plerumque soleat, inter tertiam partus periodum in eo latere, ad quod frons est versa, ut femina se collocet iubemus. Qua parturientis positione frontem ad os sacrum et mentum ad os pubis facilius verti plane apparet.

Attamen saepe ars adhibenda est, qua re primum locum semper obtinet *forceps obstetricius*, qui quomodo adhibendus sit, virorum doctorum sententiae haud satis sunt eaedem.

*Stein*[1]) et *Saxtorph* commendant *forcipem cum vinculo* adhibere, acquidem cum hoc deorsum, cum illo sursum semper operari. ***Hussian***[2]) doctrinam *Steinii* repudiat, quum ***Busch***[3]) per, ut dicimus „stehende Tractionen" verticem in pelvim ducere et extrahere velit. Si autem ***Busch***, ut *Stein* et *Saxtorph*, caput hac in positione forcipe extrahi posse contendit, non est intelligendum qua de causa denegat tales partus solis naturae viribus perfici posse.

Quod adtinet ad hanc forcipis adhibendi rationem, ubi *forceps tantum extrahendi causa* in usum venit, prosperos eventus non fieri, multae observationes nobis plane confirmant, de quibus comparandi sunt inter alios loci, quos legimus: Neue Zeitschrift für Geburtskunde Bd. 9. p. 116. Bd. 11. p. 335. Bd. 29. p. 248. Bd. 30. p. 327. et v. Siebolds Journal etc. Bd. 11. p. 335.

---

1) **Stein, l. c. tom. II. §. 794—795.**

2) **Hussian, l. c. tom. III. §. 157.**

3) **Busch, theoret. pract. Geburtskunde p. 278.**

Quamquam igitur iam *Smellie*[1]) et postea *Baudelocque*[2]) cogitarunt in faciei positionibus mento ad os sacrum verso *ad positionem corrigendi forcipe uti*[3]) tamen in universum nostris diebus attribuendum est *hunc forcipis usum* accuratius definiisse. In primis *Hueter*, *Lange*, *Kiwisch*, *Scanzoni* nominandi sunt, qui rotationem faciei per forcipem ad naturae exemplar instituere volunt[4]).

Ratio ipsa, qua forceps hoc sensu ad positionem secundiorem reddendam sit adhibendus varie describitur. *Lange*[5]) summi momenti esse dicit forcipem in ea obliqua diametro pelvis in qua caput sit, applicandum esse, ita quidem ut alterum brachium plane in synchondrosi sacroiliaca, alterum pone contrarium ramum horizontalem ossium pubis versetur. Quem ad finem optimum esse, id brachium primum inducere, quod ad anticam regionem ergo fronti respondens iaceat. Idem docent *Kiwisch*[6]) et *Scanzoni*[7]).

Quum autem tali forcipis positione eae, quas tenet, partes capitis (forceps enim iacet super alterum os frontale

---

1) Smellie l. c. p. 302.

2) Baudelocque l. c. tom. II. p. 182. etc.

3) Smellie multa exempla eiusmodi commemorat feliciter perfecta. Cf. eine Sammlung besonderer Fälle und Bemerkungen in der Hebammenkunst von *Smellie*. Aus dem Engl. von Königsdörfer. Altenburg 1763. Bd. II. p. 509. etc.

4) *J. F. Osiander* narrat in opusculo suo „Beobachtungen und Bemerkungen aus der academischen Entbindungsanstalt zu Göttingen während der Jahre 1822. und 1823", Hannover 1837. p. 83. casum, ubi in partu facie praevia ore et mento retrorsum versis forcipem ad faciei latera applicavit et caput ita extraxit, ut os et mentum sub arcu ossium pubis provenerint. Quomodo haec faciei versio autem facta est ipse dicere non potest.

5) Prager Vierteljahrschrift etc. I. Jahrg. II. Quart. p. 59.

6) *Kiwisch* Beiträge zur Geburtskunde. I. Abth. p. 59—61.

7) *Scanzoni* l. c. tom. III. p. 197.

et diagonale contrarium maxillae inferioris ramum) haud satis firmum praebeant locum, forceps perfacile labi potest, qua re colli organa tam valde comprimuntur, ut foetus inter operationem moriatur.

Quod ut impediat, *Hueter* brachia forcipis non in eadem obliqua diametro, in qua facies est, applicare vult, sed eo modo ut in tertia positione in secundam, et in quarta in primam obliquam diametrum perveniant, itaque semper caput foetus in transversa diametro circumplectantur[1]. Forcipe igitur ita applicato manubria in obliquo situ ante genitalia versantur, neque negligendum est, ut inter rotationes iam instituendas manubria paullatim in transversum situm veniant. Linea faciei transversam in pelvis diametrum ducta forceps removetur, atque aut quem effectum provocet, exspectatur, aut, si necessarium videtur, instrumentum contraria in obliqua diametro inducitur, ut facies ex transversa in primam vel secundam positionem moveatur[2]. Prof. *Hueter* ea ratione die XVI. mens. Aug. 1837 quartam frontis positionem in faciei primam convertit. (cf. diar. obstetr. Marb. Nro. 445.)

Quod ad eum, quem *Hueter* descripsit, forcipem pertinet bonum atque egregium eius effectum usumque

---

1) *Fourquet* (cf. Journ. de Toul. Oct. — Dec. 1851. — Schmidt's Jahrbücher für die gesammte Medizin: Bd. 75. p.183) praemonet, ut apud talia experimenta positionem capitis forcipe commutandi collum foetus nimis torquere medici caveant; hac enim ratione mors eius facile adduci possit, quum corpus aquis iam diutius effusis, quin versionem capitis sequatur, utero contracto valde sit impeditum.

2) Eine Geburtszange, Abhandlung von Hueter, Marburg 1838 p. 23. et Amtlicher Bericht über die 23. Versammlung deutscher Naturforscher u. Aerzte in Nürnberg 1845. p. 268. Vortrag über die Wirkung der Geburtszange von Prof. Hueter.

ipse in machina et in nonnullis tertiae et quartae occipitis positionis casibus prorsus cognovi.

Eo, quod volumus, forcipe fauste effecto a ceteris rationibus pendet, num amplius forcipe utamur. Nam si certae indicationes ad partum celeriter finiendum omnino desunt, ac si ex rationibus, quas inter se pelvis et caput praebent, uteri contractionibus concludi potest, per ipsam naturam caput correcta in positione sine periculo matris vel foetus perpelli posse, operationem desinere ceteraque naturae concedere licet; sin vero aliter se habent illae rationes, forceps statim adhiberi potest ad extrahendum caput.

Praeterea vero forceps etiam eo, quem ***Busch*** et ***Stein*** volunt, modo adhiberi potest, sed iis tantum in casibus, ubi facies iam inter genitalia externa progressa est et iam natura ipsa partum hac in positione perduceret, si non certae res postularent, ut forceps extrahendi causa in usum veniret.

---

# Theses.

I.

Ex pulsus numero solo nil diagnoscitur.

II.

Status qui dicitur gastricus, non est morbus, sed symptoma tantum.

III.

Choleram morbum non contagiosum habeo.

IV.

Extractio optima methodus est cataractae operandae.

V.

Symphysiotomia nullo pacto est instituenda.

VI.

In graviditate extrauterina melius est naturae confidere, quam operationi.